

peccato originali, quod est malum activum, concepti & nati. Unde & Deus dicitur mundando non mundaturus, Exod. 34. v. 7. & Nahum. 1, 3. hoc est, nullum hominem in terris viventem, innocentem pronunciaturus, licet vel ipse sibi videatur innoxius, vel talis etiam ab aliis habeatur. Conclufit enim Deus omnes *ἐς ἀπείθειαν*, ut omnium misereatur, Rom. 11. v. 32. & Gal. 3. v. 22. Et quilibet Sanctus cum Davide Psal. 32. v. 6. rogat Deum suorum delictorum veniam, & petit, ne intret cum ipso in iudicium; quia non iustificetur in ipsius conspectu omnis vivens, Ps. 143. v. 2. *E. posterius*. E. infantes sunt immunes ab actualibus voluntariis criminibus, in quorum respectu nuncupantur innoxii. Et ubi per Sacramenta sunt Christo insiti, sunt iusti & sancti per realem iustitiæ & sanctitatis Christi imputationem.

63. Nec alias Spiritui S. inusitatum est, aliquem hominem appellare *innoxium*, non quidem simpliciter & absolute; sic enim omnis homo est peccator, dempto solo Christo; sed *limitate & determinate*, respectu scil. alicujus maleficii, quod quis non designavit. Ex pluribus hæc seligi & adduci queunt exempla. Gen. 40. v. 15. Joseph conqueritur, se innocentem esse in carcerem missum. Ubi per innocentiam suam non intelligit *ἀπείθειαν* omnium omnino peccatorum: sed tantum carentiam ejusmodi flagitiorum, quæ fuerint digna tali carcere. Et Jer. c. 26. v. 14. 15. ad rabiosos inquit Judæos, quibus nomine Dei pœnas comminatus fuerat: Ego in manibus vestris sum; facite mihi, quod bonum & rectum est in oculis vestris. Veruntamen scitote & cognoscite, quod si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis &c. En! Propheta se itidem vocat *innocentem*, non quod sit *ἰοῦγγελοῦ*, ab omni peccati labe immunis: agnoscit enim pravitatem cordis humani, c. 17. v. 9. quæ in ipso sic etiam operosa fuit, ut diem nativitatis suæ fuerit execratus, c. 20. v. 14. sed quia tantum & tale non perpetravit enorme facinus, propter quod à Judæis fuerit morte mulctandus crudelissima. Hæc de quarto argumento.

64 V. Denique sumo *a remotione perpetui effecti peccatorum, contra conscientiam admissorum*; sic colligens: Quicumque renatus peccat scienter & malitiose, seu contra conscientiam, is amittit fiduciam justificantem, effunditque gratiam Dei. Nullus infans *circumcissus* in V. & *baptizatus* in N. T. proindeque regenitus, amittit (in sua infantia) fiduciam justificantem, nec effundit gratiam Dei. E. *Major* probatur; siquidem qui bonam conscientiam repellit, circa fidem naufragium facit, 1. Tim. 1. v. 19. & morituri sunt renati, quando secundum carnem

D vixerint,